

PROBLEMATAREGIA,

Ex Auspicato

IN ELECTIONE

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI

PRINCIPIS

MICHAELIS

POLONIARVM REGIS

INVICTISSIMI

M. Dñs LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASO-

VLIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ

CZERNIHOVIÆ, &c. &c.

MAGNI DVCTVS

APVM OSTENTO, COLLECTA.

atque

EIDEM SERENISSIMÆ MAIESTATI

Intra Solennia

AVGVSTÆ CORO-
NATIONIS

AB ALMA VNIVERSITATE & ACADEMIA VILNENSI
HVMILI CVM SVBIECTIONE
DICATA.

VILNÆ Typis Academicis Societ. IESV Anno 1669.

R. J. Mittermaier Rector Collegii P. S. de

LOCVTVS SAMSON. *Scilicet Apibus in ore Leonis Inuentis.*
PROPONAM VOBIS PROBLEMA, Indic. 14.



10374

Bm 205348-10



203519

10
14

Handwritten text at the bottom of the page, partially obscured and difficult to decipher.

PROLOQVIVM

AD SERENISSIMVM

ET INVICTISSIMVM

REGEM



Immensis publicæ felicitatis gaudijs,
 quæ non Poloniarum tantùm Regna,
 verũ vniuersi orbis Europei amplitudi
 nẽ, in hac Augustissima Maiestatis Tuæ
 ad imperium inauguratione comple-

xa sunt, accessuri: nullo commodiore tramite ad desti-
 natam exultantis animi metam, nos peruenturos iudi-
 cauimus: quam si fortunatissimorum Tuæ Maiestatis
 auspiciorum ductum sequeremur. SERENISSIME &
 INVICTISSIME REX, DOMINE DNE CLEMEN-
 TISSIME. An enim ille Dux rectum iter ad gaudendum
 de Tua Maiestate non monstraret? qui Te Regem
 a Deo destinatum, palam omnibus ostentauit. O verè
 Deo dilectum Principem! cuius electioni suffragatu-
 rum cœlum, non armis pro Candidato suo militauit
 sed contra vim & arma, concordiam opposuit,

cōtumacesque animos expugnauit: nec sanguinem tin-
genda purpuræ fudit, sed sanguinis seruata in-
gritate, macie affectis, patriæ venis, providit. Den-
que vt intimam, ac hominibus ignotam sui affectus pro-
pensionem, claram faceret, Auspicatissimo *Examini*
Apum ad nomen MICHAELIS REGIS conclamatum,
subito ante Palatinatum aspectum provolantis, mox
lentè subfidentis *ostento*, ipsa mella omnibus loqui, mel-
leaque tempora MICHAELE imperante, Reipublicæ
spondere visum. Mirum dictu, quot ab his apibus Am-
brofij! quot Platones! Credi poterat, illas in ore o-
mnium magis, quàm oculis confedisse, cùm tam elo-
quentibus, gratis, concordibus suffragijs agi cœptum, ut
paucò tempore, diuturnæ discordiæ, quæ sitaque ani-
morum diffidia subfiderent: & diversæ suffragantium
turmæ, in unum veluti Examen, vno REGE lætum, sen-
tentijs coalescerent. Se equidem in erronei sensus fo-
veam præcipitauerit, qui hoc munus felicissimæ con-
cordiæ, iudicio in casum urserit, subitaneisque euenti-
bus immiscuerit. Neq; tamen cum id loquimur, totū quod
tam Augusto operi intervenit, intervoluti illi Omni
tribuendum censemus, quin prius benevolentissimum
Tibi Numen, animos populorum, facibus occultis, in
favorem atque cultum tui perurgens veneramur: tum
de auctoramento cœlestis benevolentia, aspectibus no-
stris oblato gratulamur. Necdum auspicia ulla conspe-
cta, necdum syderei volatus explicati, & iam Præsti,
mox Tuum MICHAELIS nomen, per aera latè
resonabat, diuisosque in duas pro dignissimis Principi-
bus sectas, animos; ad te vnum revocabat. Adhuc
me.

medius, cohortes inter integras regnando natas, hoc est nobilitatem Polonam consistebas, & iam altior æqualibus eminebas, cū Te Tua omnibus conspicua virtus, Prudentia, Amor boni publici, admiranda Humanitas, vnum ex alijs, dignum qui imperares ijsdem, atrollerent: gloriosumque Clotarij Imperatoris Symbolum, virtutibus augustis in tuo vultu expressum ostenderent. *Ex vobis, Præ vobis, Pro vobis.* Accessere mentibus admiranda spectacula, VLADISLAI IAGIELONIS, Poloniarum olim Regis, & KORYBVTI illius fratris, Ducis Lituaniæ, tum KORYBVTI nepotis, viuentis adhuc Iagiellone, REGIS Bohemiæ. Stipabant pone dignissima purpurâ latera, Augustissimi, Augustissimæ Austriacæ Domus Imperatores ac Reges, a Cecilia sive Cymbarka, consorte thori Ernesti Ducis Austriae, Matre Frederici Imperatoris Romani, eademque sorore germana Iagielonis & Korybuti prognati. Latus tenebant dextrum, quotquot a Frederico per Maximilianum ad Augustissimum usque Leopoldum solem orbis præsentis, Christiani descendere Imperatores. Sinistrum, quotquot a Carolo V Philippi Archiducis filio, Maximiliani nepote, Hispaniarum a Ioannæ Reginae morte hærede, imperauerunt gloriosissimis illis populis, Reges. Hi Te Regalibus humeris attollere, hi Augustæ dignitatis apparatu ambire, hi innumerorum meritorum cohortibus cingere, aureæque recordationis sui gloriosæ catenâ, colligata multitudinis corda, ad Te pertrahere visi. Tantis Tu, & tam Augustis ad thronum Regium evehebaris baiulis, gaudentibus inde pariter populis, quod vbi post depositum a Serenissimo

Ioanne Casimiro imperium, carus semper patriæ, et mori
videbatur Iagielo, ibi rursus in Korybuti fratris successi-
one ad scepra revivisceret. Suffragijs humanis, cele-
ste, quod loquimur, *Examini Apum*, accessit *Auspicium*.
Portenderit olim illud Dyonisio, atque Hieroni, Siciliae
imperium, obtulerit Iovi, non Cretae solum, verum De-
orum quoque suprema gubernacula: nobis, cum Te
Regem *Calo Probatum* firmavit, Tui imperii successuum,
nostrorumque gaudiorum exitus, felicia omnia exhibuit.
Hæc nunc humi ad cultum serpente oratione
prosequimur. Ad hæc pandenda, Musas nostras, inter
Augustissima Regiæ Tuæ inaugurationis solennia in-
vocavimus, ut cum ex *Auspicato Apum ostento*, per *Proble-
mata* ad genium Samsonis, olim *Apibus* colludentis ex-
plicata, spes nostræ promicuerint, Apollinæo
obsequio, cum totius *Academiæ ac Vniuersitatis*
nostræ, humillima fidissimaque
veneratione, Tuæ ad-
sternantur Ma-
iestati.

a. 1422, Cromer. lib. 14.



PRO.

PROBLEMA I.

AN MAGNVS ORTVS,

AD MAGNAM VIRTVTEM CONFÉRAT?

Libera est virtus, liberumque ad virtutem iter. Nulli secuturo, clausere præeentes virtutis ianuam, neque clausam referari prohibuerunt. Felix audacia, audere bonum esse, & ea, quæ gloriose inclamare possit *a.*

O vite magna facultas

Pauperis, angustique laris! o munera nondum

Intellecta Deum.

dummodo quisque sibi dictam credat b.

Exurge, & te quoque dignum

Finge Deo.

Vehementer equidem erramus, si credimus, tales nos debere vivere, quales nasci contigit. Licet etiam ex angulo, in caelos profilire. & decet *c. magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est d. Meum genus, a me incipit; tuum in te desinit, dixerat non nemo: Dicant utinam virtute suffragante multi: aut si nolunt loqui cum ignoto, loquantur cum Anaxarcho scriptorum famâ claro, qui exprobranti Attico, quod Scythia esset, respondisse fertur. Mihi quidem probro est patria, tu patria. Scilicet, Plutus opes, Minerva doctrinam, Virtus, Decus atque omnia præstat. Hanc igitur prosequi toto nisu opus est, atque per eius gradus ad laudum culmina eniti. Redde laudes posteris tuis, quas a maioribus accepisti, dicebat Athalaricus Rex, Praefecto vrbis Reparato. Da laudes posteris tuis, dicat virtutis amator, atque nisi animum despondeat, id se effecturum certo speret.*

Magnus tamen ad virtutem impetus est Magnum nasci, & cum

vitæ ingressu repansū honesti iter occupare, inuenire.
quæ paratos ductores, quos ad virtutis culmen sequaris?
Quis ignoret apum nobilissima ingenia, studia, Rem-
publicam? At vnde hæc?

e. *Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus*

Æthereos dixere

Tanti est vnde primum Spiritum haurias, f. *Inest enim pa-
rentibus vis quadam admirabilis & occulta propaganda virtutis,
& in stirpem quasi deriuanda*

g. *Fortes creantur fortibus*

- - - *nec imbellem feroces*

Progenerant Aquilam columba

Si pyra seueris, poma non leges, si poma terræ commi-
seris, pyra ne expectes.

b. *Scilicet est olim vis rerum in semine certa*

Et referunt animos, singula quæque patrum.

Huc illa, sed vecors, Macedonis respexit arrogantia,
cum se Deo natum dici expetiit, vt tanti patris spiritu,
ad ausus plusquam humanos impelli crederetur.

Huc quoque mentē necesse inflexerit Ho-
merus, cum Principes Ioue natos Iouisque a-
lumnos affirmavit. Huc denique a-

nimum advertit Calima-

chus, cum Ex Ioue

esse Reges,

edixit

O quanta inde Polonis gaudendi materies! quantæ
spes! cum de eo Rege gaudent, quem tot Principum
sanguis imbuit, tot Regum atque Imperatorum spiritus
animavit. Magnus es natus o Rex! magnus vives,
& regnabis, quod noster Appollo precatur.

a. Luc. lib. 3. b. Senec. c. *idem de Clem. lib. 1.* d. Apoph. e. Virg. 4.
Georg. f. Plato g. Horat. b. Marul.

ODE

O D E

Assiste avito pulcher honor throno;
 Et vena plenæ laudis eburneis,
 Deuicta Parnassi fluentis,
 Non humiles mihi pande pennas;
 Dum magna Magni germina sanguinis
 Vestigo grandi Numine: Nil iuvat
 Defossa terrarum sepulchris
 Nomina sollicitare. Regum
 Dum se propinquo gloria lumine
 Offundit orbi Sarmatiæ. Throno
 Hic magnus effulgit; Paternum
 Qui Proavis, Atavisque lumen
 Inter sereni Nominis atria
 Magno refudit fanore; & atria
 Immensa virtutis Paternæ
 Sarmatico patefecit orbi.
 Magnum est Parentum pectore Nobiles
 Duxisse venas Sanguinis Inclyti,
 Ortusque respernisse clari
 Pectoris: haud pereunte sole
 Reges avito Lumine, Regibus
 Augusta ducunt nomina, Rex Leo
 Ex vogue nascentis recenter
 Magnificas meditaturs iras.
 Hæc scena laudum non variantibus
 Te cingit astris Optime, Maxime
 Sanguis Dynastarum, & Paterni
 Rex MICHAEL, Cynosura cæli.
 Dum clarus alto sole meridiem,
 Lucis Paternæ provehis. En Tibi
 Immensa Maiestas Avorum
 Purpureo veneranda cultu
 Adstat serenis passibus, vt novum
 Revisis orbem Lumine, & auream
 Lucem redordiris paternis
 Rex Korybut venerande Ceris

O quanta clari sanguinis atria,
Laudesque Auorum, & gloria posthumis
 Vetusta cedrorum tabellis
 Emerito veneranda lustro
Te pone plenis, fascibus inclytos
Molitur ortus! iam Tibi Regio
 Iagiello subvectus Trione, &
 Empyreis Korybutus astris,
Miscent avitum sanguinem, & intimos
Honoris ignes: cum pede Regio ad
 Erecta Maiorum trophæa
 Ingredieris, tenerisque lustras
Natalis astri Pergama gressibus
Origo Magni sanguinis. En prope
 Sol plenus illustres Avorum
 Sarmaticâ statione fasces
Inter verendorum agmina civium
Vltro reponit. Stelliferis simul
 Illapsa cœlorum quadrigis
 Fama novum veneratur Astrum,
Magnumque censet, sive Bohemiæ
Spectas Leones, sive Aquilas sacro
 In sole Ferdnandi tueris
 Austriacis celebres triumphis:
Vtrinque clarus germinis inclytum
Misces avito sanguine sanguinem,
 Cerasque maiorum propinquo
 Austriacis super orbe firmas.
Virtute magnus, magnus origine,
Gentisque magnæ magnus adoreis,
 Rex vive! palmareque gentis
 Belligeræ numera triumphos.
Sic Astra spondent lucida; sic polus;
Regis supernis fascibus annuit
 Astræa, sic Apum senatus
 Mellifluum tibi spondet ævum.

PROBLEMA II.

MELIVSNE IMPERIVM, QVOD MOLLIVS?

Credi videbatur non posse, tantâ vnquâ homines acturos sævitiâ, ac tantâ agēdos sanguinis fiti, quantâ nec inter feras notaveris, inter quas rariora bella, crudelitas, sævities. Proverbium fert. *Hominem esse homini lupum, at non lupum lupo lupum, nec leonem leoni leonem, atq; tandem apud homines quæritur. Sæviusne, an mollius imperium melius? Nec desunt Maximi a. qui profiteantur, Imperium nisi sævitiâ non teneri. Caligulæ b. qui inclament. Oderint dum metuant. Polynices c. qui acclament. Regnare non vult, indigus qui esse timet. Vitellij d. qui campos cadaveribus instratos, fædaque tæbe fluentes invisendo, nefariè gloriantur. Optimè olere occisum hostem, sed melius civem. Ovoces barbaras, non Principibus, sed hominibus indignas! ô fauces Chereæ manibus præfocandas, quibus, Caligulæ cervice præcisa, populus insultans acclamavit e. Tu vnam cervicem habes, sed nos multas manus, quod sat acutè ei redditum f. qui optabat. Vnam, toti populo Romano cervicè. Procul ô procul, hæc monstra imperiorû. Imperiû quod mollius, idem esse melius, docent apes auspicate, quarum cum Republicam examinamus, monitore Seneca iuvenimus*

g. *Apum Regem sine aculeo esse*
Noluit enim, pergit idem, illum natura nec sævum esse, nec ultionem, magno constitutam petere: telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Parum erat magno Magistro, vt sensum explicaret, quin exclamaret. *Exemplum hoc, magnis Regibus ingens est! quod qui non sequuntur h. Expeclent donec rursi & leones regnent. Nam hominis, propria est clementia, belluarum feritas, vt edixit Severus Imperator, qui etiam dicere solitus. Nunquam me penituit fuisse lenem, at penituit fuisse immitem. At duo censentur nonnullis cum Dionysio Sicilia Tyranno i. Adamantina regnorum*

vincula, timor viresque armata. O quanto verior vox Plinij apud Traianum k. Hæc arx inaccessa est, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore lucinixerit, qui septus charitate, non fuerit. Armis enim, arma irritantur. An non idem antehac Sallustius sensit, quando Cæsarem his monuit. I. Qui benignitate, & clementia, imperium temperare, his candida & lata omnia fuere: quoniam non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, sed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, ac fide præstantur. Hac vivendi ratione tutus Princeps imperet, hæc securus duret, hæc incrementa imperij promoveat, & quod de Pio Imperatore

Capitolinus ait. m. Imperatorium

fastigium, ad lumenam

deduxit, ciuilitatem,

unde plus cre-

uit, expe-

rietur

Tibi verò id laudis meritissimè adscripserimus REX SERENISSIME, qui non modò toto vultu Clementiæ, & Benignitatis innatæ, spiras amænitate, sed toto quoque pectore geris: eaque benevolentia cū Tuis agis, vt quod oculis spectant, corde foueri credant, & quod foueri credunt, spectare se lætentur. Omnium Regum titulis, dignum Principe, CLEMENTISSIMI nomen, inscribimus Poloni: Tuo pectori, nunquam satis amato, antequam nos ediceremus, inculpfit illud clementia, quam gratulabundi veneramur.

a. capitol. b. Symb. Imper. c. Senec. in theba. d. Dio in vita

adli. f. Suet. g. lib. 1. de clem. b. vernul. i. apophth. k. Paneg.

Traian. l. theatr. polit. m. Idem.

O D E

Abscede livor; blandiùs imperat
 Sævæ còercens damna Licentiæ
 Magistrà Regnorum, beatos
 Imperij moderata fasces
 Mentis serenæ Filia. Quam prope
 Pleno renidens sole meridies
 Assedit, & blandè nitentes
 Explicuit sinè labe vultus,
 Sceptrumque rexit. Regna cruoribus
 Mergit Tyrannis sanguine civium.
 Demersa liuescunt cruento
 Imperij decora ampla tabo.
 Quem non timendis brachia civium in-
 Vexère palmis Imperio, viget
 Sub mole terrarum, ruinas
 Impavidis tenuit lacertis
 Immota cervix. Effera corrui
 Non fulta suavi sorte protervia,
 Sceptrumque collisit nefasto
 Impietas comitata ferro.
 Amica sceptris dextera lenibus
 Attacta loris regnat. Aculeum
 Pertæsa mens voluit serenos,
 Numine propitiante soles
 Hâc arte lenis, rectiùs attrahis
 Felicitatis frena, faventibus
 Dum iura regnorum Monarchis,
 Imperio moderaris æquo
 Pupilla Regum, publica Patriæ,
 Sceptrique sospes gloria, Principum
 Sanguis, Paternarumque laudum,
 Et Lechici pia dextra sceptri.
 Cui non refusis scena cruoribus
 Cædisque sparsæ nimbus, & efferis
 Assistit irarum tumultus
 Agminibus, pauidique fasces

Circum timendas accumulans vices
Pallore lassus. At blanda severitas
 Regale decernit benigni
 Imperium sine labe solis.
Quemque, & refusis gratia brachijs
Cingit quietam mentis in iride
 Plenumque dispensat serenam,
 Per Lechici Diadema Regni
Regale mentis conspicuæ iubar
Modesta virtus. Rectius imperas
 REX magne virtutis serenæ
 Imperijs, niveoque sceptri
Benignioris Numine Patrias
Leges tueris. Cum radiantibus
 Mentis serenatæ Pyropis,
 In Patrij moderamen orbis
Splendoris ortus luce nova vehis
Gratus videri. Nubibus eximit
 Tranquilla te virtus, Paterni
 Indigetem, dominumque sceptri
Quem non timendo fascia purpuræ
Obnubit ostro, non metuentium
 Stat ordo fervorum tremendus,
 Ad Domini pavefactus iras
At conspicaci pectoris atrium
Metatur astro Curia Principis,
 Latusque tranquillum Camilli
 Impavidam statione servant
Hæc sorte Regni Pergama aeneo
Invicta vivent consista marmore
 Spernentque fortunæ procellas,
 Nec pluvios Aquilonis imbres
Lenis pauescet dextera. Defluis
Beatitatis vena favoribus
 Insperget illimes Dynastæ
 Marginibus, sine cæde fasces.

PROBLEMA III.

AN SIMVLARE ARS TYRANNORVM, DISSIMVLARE
ARS REGVM.

Non constat Plinio lib. II. histo. Nat. cap. 17.
quod asseruit Præceptor Neronis, *Regem
apum aculeo carere*, illud asserit, Imperatorem illarum,
quanquam non careat, *Aculeo non vti*; dissimulatisque
armis, & vindictâ, securû vivere. Hunc licet Reges glo-
riose imitentur. Quemadmodum enim *Simulare* de-
posita esse arma, & odium fouere, animoque recondi-
to, coquere exitium, ars, Tyrannorum est, ita *Dissimu-
lare* bellum, nec quamvis provoceris, iniuriæ ultionem
prodere, atque inde (dum res publica finit) adver-
sarios benevolentiam prosequi, ars Regia est. Typus si-
mulatoris & Tyranni, Tiberius esto, mille fraudum,
dolorumque mille, sub specie indulgentis, Artifex, &
Carnifex. De hoc Dio. *Iratum se simulabat, cum minimè
succenseret: placatum, cum maximè indignaretur. Nimirum,
quos supplicio afficeret, ijs misericordiam ostentabat: infensum
se ijs, quos venia prosequeretur exhibebat* Oraculum esto
Homericum

a. Rex homini quoties irascitur inferiori,
*Quam vis ad præsens, saavam concoxerit iram
Attamen hanc memori servat sub pectore, donec
Expleat.*

At de Regibus Tyrannis id dictum esto, denique de
Tyberio de quo rursus Dio. *Inimicissimos, ferè vultu quàm
maximè beneuolo, amicissimos summè alienato intuebatur, vnde
cû Haterius, & Mamercus Scaurus, suspicacem eiusiani-
mum, in dicenda sententiâ perstrinxissent: in Hater um
statim b. inuictus est, Scaurum cui implacabilius irascebatur, si-
lento transmissit.* Eadem simulantis fronte, Scribonium
Libonem c. quem perditum volebat, ornauit Præturâ,
conuictui adhibuit, non vultu alienatus, non verbi
commotior, adeo iram condiderat. verè

*d. In inimici pessimi, fronte bilari,
Corde tristi, quos neg, ut apprehendas, neque ut mittas scias.
Interea illud pariter verum est quod*

f. Qui nescit dissimulare, nescit regnare.

Non diffitetur idem magnus Principum Magister g
censetque huius artis tutela, à Philippo Macedoniae re-
gnum stabilitum, de quo etiam Plutar. narrat, quod
cum à delatoribus Nicanoris, vrgeretur ad supplicium,
responderit. *Nicanor non est Macedonum pessimus, viden-
dum ne cui nos desimus officio.* Donum igitur amplum le-
vandæ eius inopiæ misit, quo accepto, cum laudes Re-
gias Nicanor ubique prædicaret. *Videtur, inquit Rex,
in nobis esse situm ut bene vel malè audiamus.* Sapiens igitur
Principis est *h.* Non relinquere bonos mores sed
tempori aptare, atque ea ratione sæpe

i. peragit tranquilla potestas

Quod violenta nequit.

k. Antigonus cum duos manipulares, ante taber-
naculum sibi maledicentes diu patienter audiisset, mo-
to aulæo. Longius, dixit, *discedite, ne vos Rex audiat,* ne-
que ad ullas inde pænas processit. At quanto plus egit
Titus *l.* qui duos patritios, conuictos de affectatione
imperij pertulit, hoc solo monito, *Principatum fato dari.*
Nondum hic legerat, & melius multis intellexerat, di-
vinum illud edictum *Scias gladium tibi datum à Deo,
non tam ut eo utaris, quam ut mineris, ac terreas. n. præsertim
in causa, quæ ad priuatam iniuriam pertinet.*

Preme felix hoc regium imperandi iter Rex Sere-
nissime, quod te occupasse, palam monstrare possemus,
nisi quæ Tu Regalis animi magnitudine, dissimulato
excessu abire fecisti, literæ quoque dissimulare coge-
rentur.

*b. Tacit. c. idem lib. 2. d. Cecil. apud Gel. lib. 15. f. Symb. Frider.
Imper. g. sen. lib. 3. de ira cap. 23. h. idem r. Claud. k. Suidas l. Suet.
cap. 13. n. Ioseph in antiquet.*

O D E

L Ethi refufis fparfa cruoribus,
 Trophæa fquallent; cùm fera fubdolos,
 Armavit in clades tumultus
 Dextera, laurigerofque latè
 Ramos revulfit dura feueritas,
 In flore verno. Sub tacito latens
 Livore celavit calentes,
 Pectoris extimulantis ignes
 Sepultus enfis. Condita liuido
 Squallet cicatrix vulnere. Noxiè
 Demerfit in fletum nefaftas
 Il lacrymans Bafilifcus iras.
 Fraus eft Tyrannorum abdita perfido
 Texiffe cultu pectora; & efferos
 Glifcente fub flamma furores,
 Sidereo redimiffè vultu.
 At quem ferenâ diffimulans color
 In nube textit: iura tyrannidis
 Repreffit inuictus, fereni
 Hic adiit decora alta cæli
 Sublimis hæres. Hâc Tibi planior
 Mauortiarum gloria gentium
 In luce tempeftas refufa,
 Innocuum benè credit ensem.
 Non claufa in aftus flamma, nec abditi
 Ignes tyrannis, non rigidum nefas
 Fallente fub vultu calefcit,
 Non placidis graue fulmen aſtris,
 Regale pectus fic fimulans tegit
 Vltore fato. Par radiantium
 Innubis aſtrorum decori
 Regna fimul, populoſque blandâ
 Rectus tueris luce fupercili
 Benignioris, nec Tibi purpuram
 Incendit ardor, nec calentem
 Igne animum fimulata ferri

E-

E-



203519

Exasperârunt fulgura. At æquior
Regina recti gratia pectoris,
Regale delegit trophæum,
In folio, haud simulante sparfos
In damna casus. Fæta tyrannidis
Procella clausis fervet in ignibus:
Et nube se uelant modestâ
Sulfuræ Phætonis auræ,
Plerumque fuscant arte meridiem
Suspecta cæli lumina, & intimo,
Recondit undarum sub astu
Oceanus furibundus algam.
Sittit sub vndis Scylla latentibus
Infesta remis; insita subdolis,
Venena liuescunt myricis,
Artifici medicata flore,
Donec repandis frondibus insolens
Ramus, nefastas parturiat dapes,
Lenique delusam colore in
Pernitiem malè condat artem
Dolosa tygris. Cedite barbari
Mores Neronum. Lethiferi patent
Sub felle respersim colores,
Sanguineum malè condit atroꝝ
Vagina ferrum. Pleniùs occupas
Beatitatis sæcula; cùm Tibi
Ignara Maiestas timoris;
Et placidum sine fraude iustum,
Sceptrum tuetur. Sideribus pari
Te fama saxo sculpsit, & aureos
Vultus redorditur perenni
Marmore dissimulante plenos,
Ad vota fasces; se Tibi Regijs
Aperta virtus dedicat atrijs,
Largumque diffundit patenter
Recta Themis sine clade censum.

PROBLEMA IV.

AN REX, SIT LEX?

Mario Aurelio Principi Optimo, hoc Symbolum usurpatum accepimus: *Rex, vna Lex*, cuius afferendi occasionem præbet, quod de Apibus à Plin. cap. 17. memoratur. *Mira plebis circa Imperatorem obedientia, cum procedit, una est totum Examen, circaque eum globatur.* Vtinam tam promptum subditi pendant Principibus suis obsequium! illud interea si viuendi rationem respiciamus, verissimum est. Circa Reges totum globari populum, eos respicere, eorum viam ingredi, eorum vitam viuere, atque facta pro lege quadam censere, Eximiè laudator Traiani a. *Flexibiles quamcunq; in partem ducimur à Principe, atque ut ita dicam sequaces sumus.* Huic enim chari, huic probati esse cupimus, quod frustra sperarint dissimiles, eoque obsequii continuatione peruenimus, ut prope omnes homines, unius vitamur moribus. Et rursus b. *Vita Principis, censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur.* Sol est Princeps, cuius calore foueantur, vigeant, crescant, coelo illius subiecta. Sol est, ad cuius conuersionem heliotropia, populorum conuertantur. Hinc politiei secretioris historicus c. cum causas redderet, qua ratione perfectum, ut Vespasiano Principe Romani à luxu, ad moderationem se referrent *Præcipuus inquit, adstricti moris autor Vespasianus, antiquo ipse cultu vultuque*

Publica nimirum tunc res sibi constat, & æquum

Imperium, cum Rex, quod iubet, ipse facit.

Sapientissimè igitur Theodosius Imperator filio apud Claud. d.

In commune iubet si quid, censetque tenendum,

Primus iussa sibi, tunc obseruantior equi

Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum

Autorem parere sibi, componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Præstitit & ipse quod præcipiebat. Vt enim prodigali
 tatis effusionem coerceret, id prius sibi imperauit, teste
 atq; laudatore facti, Latino Pacato e, qui illū his allocu-
 tus. *Tua Imperator epula, mensis communibus parciores, loco-
 rum ac temporum fructibus instruuntur. Hinc certatim in o-
 mnes luxuria pudor, parsimonia cultus inolefcit, & quiescentibus
 legum minis, subit quemque priuatim sui penitentia. Exasperat
 homines imperata correctio, blandissimè suadetur exemplo.* Le-
 pidum propè quod de Francisco I. Rege Gallorum no-
 tatur. *f.* Is cum accepto vulnere comam deposuisset,
 primū nobilitas, mox cæteri, crinium sylvas, regis
 imitatione excidère. Sic pullulantibus Regum vitijs, fæ-
 cundantur vitia populorum, & illis excisis, hæc extir-
 pantur. Confert ad rem eandem quod notat Marlia-
 nus g. Fæminam nobilem, nec specie indecoram, Æ-
 thiopem peperisse. Aduocauit inde admirabunda sola-
 tij & euentus indagandi causâ Albertum Magnum,
 qui multa ingeniosè scrutatus, Mauri demum imagi-
 nem advertit in thalamo depositam, quam mulier par-
 tui proxima sæpe intuita fuerat, atque mox exclama-
 vit: *En domina Patrem filij tui.* Imago populi Princeps
 est, multa *b.* *circa illam lux est, omnium in istam conuersi sunt
 oculi.* Euenit itaque vt cum cæteri eiusmodi imaginem
 à Principe expressam contemplantur, qualem illam
 conspexère, talem in partu operum repræsentent. O
 deplorandos huius veritatis testes Boleslai Audacis
 tempora! luxu Regio, atque inde vago, ignominiosè no-
 tata! ô felix auspiciatumque Vladislai Iagielonis im-
 perium, ad Principis normam, tota Lituania Chri-
 stianis sacris, adeoque pietati addictâ.

Erige te Polonia! & non magna solū, verū
 maxima sperare aude, vt scilicet Regnante MICHAË-
 LE, Pio, Sapiente, Felice, omnium virtutum Augu-
 sto Typo, virtuosissima Florentissimaque audias

*a. in paneg. b. ibid. c. Tacit. lib. 3. d. de 4. Consul. e. in paneg. f. in hist.
 Gal. Bellefor. g. Theat. Polit. cap. 3. h. Senec. lib. 1. de clementia*

O D E

Non fixa celsi marmora Carpathi
 Cives tuentur. Non adamantinis,
 Infractus Orion sub armis,
 Indomitum dominante ferro
 Subegit orbem. Pergama livido
 Damnata squallent cespite, & editis
 Leges recensitæ colossis,
 Funeream oppetiêre noctem,
 Labentis ævi. Tempora computant
 Artis labores, & Mareoticas
 Sors æqua fatorum columnas
 Pulverea sepelivit urnâ.
 Quin, & caducis tempus edax tholis
 Scribit lituras; & tineæ tenax
 Morfus profanavit citatas
 Funere comminuente leges.
Lex viua Regnum viuificis beat
 Infusa venis. Per remeantium
 It regna membrorum, & calentes,
 Indicio melioris ævi
 Inundat artus. Rex animat thronum,
 Arcetque fati iurgia, & obvios
 Lethi pauescentis timores,
 Æthereis animatus auris
 Cœrset vltro. Stat solij vigor,
 Sceptribus pondus non violabili
 Voto Dynastarum quiescit
 In Dominis solidum lacertis;
 Cum *viua* Regum *Lex* populos regit
 Benigna sceptris arbitra; Barbaris
 Sepulta regnorum potestas
 Pulveribus, sua tollit ora,
 Floremque Regni spectat, & aurea
 Crescentis ævi tempora, tempora
 Favis laborata, & beatis
 Sceptra Ducum solidata lustris.

Hæc vena laudum iam Tibi prodigo
Rex magne cultu profluit, in Tuos
 Prouecta certatim decores,
 Gemmifluis Tbi plena rivis:
Cum fospitali lucis origine
Vibras serenum Sarmatiæ iubar
 Lex *vina*, terrarumque zonas
 Sidereos imitatus ignes
Foves amanti mentis anhelitu.
Dynasta sceptri. Te Duce vividis
 Thronusque, subditæque gentes
 Luminibus sua lucra pleno
In sole censent. Pectore de Tuo
Iam prorogati sanguinis, aureos
 Vitæ redintegravit ortus
 Patria, luctificasque fati
Vultu renidens, mellea faustitas
Mulctavit iras. Qualis in aureo
 Phæbus pavimento virentes
 Luce novâ radiavit agros,
Solemque vivæ lucis imagine in-
-spiravit arvis: Tantus in aureos
 Lex *vina* dispensata census
 Sarmaticos animas triumphos
Inviçte Regum. Quod trepident nefas
Lechi potentis brachia fontium,
 Vt viva mens Regis paternum,
 Teste Deo benè flectit orbem?
Iam purpurarum sidere clarior
Fulgebit vsus, iam radiantibus
 Titan coronatus planetis,
 Vistuleas prope viset vndas,
Gemasque voluet. Iam resonantibus
Apum Camænis Mellea Sarmatis
 Current redintegrata rivis
 Sæcula, nectareique fontes!

PROBLEMA V.

QVI CARDINES VIRTUTIS ?

a. **R**egnum non duos capit, neque, mundus duos soles: at duo sunt quæ si in Rebuspublicis obseruentur, eas sperata felicitate donent. *Pramia* scilicet ac *Pænæ*, illa probis debita, hæ improbis pro merito inflictæ. Multis id Græciæ Orator b. suadet, at illum ante, sapientissimus c. veterum, his edixit. *Duabus rebus respublica continetur, si boni ad virtutem præmijs inuitentur, mali autem pænis coërceantur.* Accessit suffragium aucturus Anthisthenes d. quò iudice, *Nulla est maior Rerumpublicarum pestis, quàm si boni à malis non discernantur.* hoc est si boni negligantur, obseruentur mali. Ex aduerso, sed non aduersè Socrates, quid ad salutem Rerump. maximè conferret interrogatus dixit. e. *Cum boni inuitantur præmijs, iniusti dant pænas.* Cui item Lysander consensit, Persæ requirenti, quam Rempublicam maximè probaret, inquiringens f. *Eam, in qua fortibus uiris ac meticulosis, congrua totisque redduntur.*

g. *Dolia namque Iouis duo stant in limine, plena Muneribus qua donat, in hoc mala sunt, bona in illo Hinc miscens dispensat.*

Iovem imitetur Princeps, si Rempublicam rectè administratam cupiat. Cæterum indiscreti mores confusi necesse vagentur, si aut culpa formidinem, aut virtus premium non habeat h. *Et prouectu priorum, inuitentur corda sequentium.* Acutè Salustius. *Neminem gratuito, nec bonum, nec malum esse*

Scilicet egregios inuitant præmia mores

i. *Quis enim virtutem amplectitur ipsam Præmia si tollas?*

k. *Pramia bonorum, malorumque, bonos ac malos faciunt,*
l. *ut sis beatus, est laborandum, frustra tamen labores, si non succedat m. Par fortuna labori. An et semper infelici nihil agere est optimum?* Architas Philosophus docet, *Beatitudinem, esse virtutis in felicitate usum, & Arist. Præstantissimam, hominis vitam, et virtute, et felicitate constare*

asserit. Quis iam nolit esse beatus! quis præstantissimo vitæ dono frui! at qui fruatur o.

si virtuti domi

Angusta res obstat, ne emergat ut decet: pariterque si labori fortuna aduersetur, nec præmia respondeant meritis. Ferant quod merentur boni, sed & sustineant mali,

p. nam natura quæris

Matrem dedit, mentem malam, illa sic suos

Instituit, ut familia cogitatis

Scelera semper perpetrent,

ijſque impunitas ad scelera libertatem pandat q. & ad iniuriam irritamento sit. Quare Arnobius r. Quisquis patitur peccare peccantem, is vires subministrat audacis atque insuper

Qui parcit malis, nocet bonis,

f. Serpunt namque vitia, & in proximum quemque transfiliant, & contactu nocent; nec est qui ignoret. t. Maximam esse illecebram peccandi, spem impunitatis. Aurum fronte gestant Principes, ferrum latere. Vtroque vtantur, auro ut probos munerentur, ferro ut reos puniant, nisi velint experiri quod monuit Plutar. Licentiam, nisi cõerceatur audaciam parere, qua in omne flagitium, ac nefas erumpat. Vtriusque porro documentum magistræ, Apes sunt, quæ miro discrimine, seniores socias, veluti emeritas, præmio imminuti laboris donant u. inertiam pigritantium ac cessantium notant, castigant, mox & morte puniunt.

His Te imperante REX SERENISSIME speramus nostrum voluendum orbem cardinibus, hoc pulcherrimo Regno fortunandum ordine. Nemo est, qui de Te, qui de Patria non optimè mereri velit; nemo erit, qui Te meritorum suorum æquissimum Arbitrum, & Largitorem, non experiatur. Mali si non emergant, si nil audeant, tui gladij Terrori debebimus: sin licentiâ seueritatem provocent, sibi quæ tulerint, imputabunt,

a. Sen. in Thyet. b. Demo. c. apud Plutar. d. Ibid: e. Brus. lib. 5 f. Plut. in Laco: g. Homer. h. Casiod. lib. 1mo. i. Iuven. in Satyr. k. Plin. in Paneg. l. Menan. m. Sym. Lud. 2di. n. Mim. Pub. o. Menan. p. Sophoc. q. Sen. de ira cap. 21. r. lib. 4. cons. gent. s. Sene. t. Cic. pro Mil. u. Plin. lib. 21. cap. 8.

ODE

O D E

STellata vitant atria duplices
 In axe soles, cum redeuntium
 Ordo planetarum recentes
 Luce novâ reparavit ortus.
 Vno relucet æthera fidere,
 Vnoque vultu solis in aureis
 Corona stellarum plateis,
 Per reduces thyasum recessus
 Festo reducit carmine, & vnico
 Arridet orbem lumine Delius
 Noctisque lassatæ labores,
 Vna subit radiante cornu
 Amica Phæbo Cynthia. Duplici
 At regna Constant cardine, aheneis
 Ævo perennatura lustris
 Nec tumidas subeuntis Austrî
 Pavent procellas, non Boreæ minas
 Non fulmen Euri, non validos Noti
 Afro reluctantis fragores,
 Non madidas Aquilonis iras
 Sceptrum pauescit: Præmia si bonis,
 Malisque pænas æqua Themis ferat;
 Virtutis incrementa plenis,
 Regna vehent opulenta fertis.
 Stet palma largis vivida brachijs,
 In præmiorum commoda: protinus
 Martis triumphales resurgunt
 Belligerò super ense pugnæ;
 Lechi que virtus Martia pristinas
 Per posteriorum tempora civicas
 Resperget, & passim ruentis
 Per populos fuga diues auri,
 Grandoque gemmarum, & liquidus nitor;
 Lamnæque diues copia, & optimi
 Candescet argenti procella, &
 Cana fides, niueique morès

Regnum reuisent; Munificentia
 Si fundat aurum. Palmiferis labor
 Sertis decoratus probatâ
 Accumulat sua lucra merce,
 Quodsi nefasto quem impietas gradu
 In damna flexit per uetitum nefas,
 Scelusque prævertit ruentem? haud
 Prætereat pede pæna claudo.
 Sic sospitali Regia culmine,
 Regnique sospes purpura, & aurei
 Fasces Dynastarum, & quietis
 Sceptra vigent solidata muris.
 Hoc fultus orbis farmatiæ tibi
 Debebit ortus cardine duplici,
 Dum cinctus astrorum coronâ
 Heniochus reparabit ignes,
 Voluetque currus per rutilantium
 Globos polornm. Te fluidus prope
 Nimbus monetarum, & refusis
 Munera concomitata palmis,
 Pendent labori munera septuplo
 Torrente Nili, & Gangeticis palàm
 Rivis metallorum fluenta
 Munificos animante census
 Virtute fundent. Pro meritis reo
 Quodsi timendas iusta seueritas
 Armabit in pænas secures?
 Laurigeris decorata sertis,
 Et pax & æquum, & diuite verior
 Cornu voluptas arua super Lechi
 Fontes propinabit. Tenaci
 Flava ceres agitata culmo
 Amæna scandet Pergama. cùm Thronus
 Auto decorum pro meritis iubar
 Vibrabit, & ferrum scelestos
 Exitio tumulabit ausus.

PROBLEMA VI.

AN REGNARE, OTIVM NEGOTIOSISSIMVM?

Nemo meritò negaverit, dignam omnis posteritatis auribus, vocem Severi Imperatoris, quâ suos aliorum laboribus affundens sudores, ingeminare consueverat. *Laboremus. a Decet enim anteire Principem subditis, non vitâ deside, & laborum experte, sed eâ quo rebus provideat, laboresque libenter subeat.* Namque laboris *expers b. quis celebris gloria? quæ primum principum decus.*

Vt via virtutis dextrum petit ardua callem

Difficilemque aditum primum spectantibus offert

ita quacunque res grandis c. & gloriosa, solet plurimis asperitatibus intercludi. Audiamus Eloquentiæ Principis assensum d. Nulla potest esse diuturna gloria, quam labor strenuus, ac indefessus, primum non antecesserit. Interest & aliorum, segnem, an laborum tolerantem videant Principem, quod noravit, & laudavit Plinius in suo Principe. Summis proinde ac insinis charus, sic Imperatorem commilitonemque miscueras, uti studium omnium laboremque tanquam exactor intenderes. & tanquam particeps sociusque releuares. Et de Pompeio Sallustius. Cum alacribus saltu cum velocibus cursu cum validis veete certabat. Adrianus certè Imperator e. ad modum manipularis militis penè omnia agebat, atque ut militiæ disciplinam labantem restauraret, vicena millia passuum armatus conficiebat, quod dum ageret, actum quod Osoander asseruit, ut Imperatore laborante reliqui cessare erubescerent, nec iam ut subditi, sed cõmilitonũ instar ad opus prouocati accederent. At premo calamum. Aliud enim de quibus loquimur Apes suadere videntur, de quibus suus Plinius f. Cum populus in labore est, ipse (REX) opera intus circumit, similis exhortanti, solus immunis. En populi & Principis discrimen, ut huic labor, illi solum imperium, & operas super, præfectura cum otio debeat. At otium hoc Principis, Negotiosissimum est. Omnibus partibus Reipublicæ, mente providentiâque adesse, neuè quid detrimenti accidat effi-

cere. Sic otari non est otari, sed pro omnibus laborare, omnium curas, ad vnum transferre, atque facis instar, alijs inseruiendo consumi. *Vt indefessa vertigo cælum rotat g. vt maria aestibus inquieta sunt, & stare sol nescit: ita Tu Imperator (loquitur Theodosio) continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.* Verùm non soli Theodosio hæc conueniunt: sed cuicumque Principum in omne Reipublicæ commodum & omnem eius augendi occasionem intento. *h. O Di immortales, quàm magnum est in Republica personam tueri Principis! exclamat merito Tullius, cùm i. Huc referenda sunt omnia ab ijs qui præsumunt alijs, ut qui in eorum imperio erunt, sint quàm beatissimi.* Aliud respexerit Tragædus, ac huc quoq; merito reuocandus

*h. Quisquamne regno gaudet! ô fallax bonum
Quantum malorum, quàm fronte blanda tegis?
Vt alta ventos semper excipiunt iuga,
Rupemque saxis vasta dirimentem freta
Quamuis quæri, verberant fluctus maris,
Imperia sic excelsa fortunæ subiacent.*

An non cum fortuna vastissimis curis? Mittamus dum hæc loquimur bella, tumultus, pericula. Quanti res negotii, prouidere egentibus, succurrere perditis, intendere legibus, tueri authoritatem Patrũ, libertatẽ nobiliũ, securitatẽ vniuersorũ. Qui hæc strenuè egerit, nã, cũ Alexio orientis Imperatore *l. fatebitur, Regi, ne quidem cibo capiendõ idoneum tempus sufficere. m. Chlamis itaque regia, sceptrumque, & diadema ponderosissima rerum sunt & n. Mortalis quidem felicitas est Rex bonus, at illum in dubio rerum successu, labor manet, & graue negotium*

Evincas tamen evincas! quicquid ardui, felicitatis curis, se obiecerit, REX SERENISSIME. Hoc Tui in Rempublicam propensio, hoc invicta animi fortitudo spondet, cui plausum Musæ parârunt.

a. Xenoph. b. Euripi. c. Plat. de Rep. d. Tuscul. quæst. lib. 3. g. Patat. h. Cicer. Philip. 8. i. Idem ad Q. Frem. k. in oedipo l. de eius gestis lib. 2. m. Petrar. dial. 79. n. Idem. Dial. 96.

O D E

PROCUMBE defes torpor inanibus
 Damnatus umbris, dum meritum caput
 Labor coronavit vireto, &
 Populeis decorata fertis
 Circùm revinxit tempora. Peruigil
 Laudis petiæ prostat adorea,
 Sudore venalis, virentes
 Non veniunt sinè merce lauri.
 Hic Reginum fascia mentium,
 Famaque vector, non morientium
 Hic vena palmarum, & repertæ
 Dulce lucrum, pretiumque laudis.
 Stat æviternis gloria laureis,
 Ad vota Regum sparsa laboribus,
 Ridetque nimborum pruinas,
 Nectrepidus variante cœlo
 Inflexa ramos tollit in æthera,
 Umbrasque spargit, per redolentium
 Campos rosetorum, tepentes
 Accelerat Zephyri fauores.
 Sudore Regum prosperioribus
 Laurus perennat consita brachijs,
 Tholique, regnorumque cardo
 Herculeâ solidatur arte.
 Hic fronte celsâ magnanimum caput
 Invexit astris, qui impavidus manu,
 Regni laborantis ruinas,
 Sollicitis tenuit lacertis,
 Immotus Atlas. seu trepidet solum,
 Seu fulminantis porta tonet poli.
 Aut fractus illabatur æther,
 Impavidè sua lucra Reges
 Labore firmant. Pervigiles Tibi
 Auguste curæ pro Patria, throno
 Latè resedère, & petita
 In Patriæ emolumenta merces

Laboriosi lege negotij
Respersa sceptrum librat; & editos
 Lechi triumphantis colossos
 Indomitus labor arte firmis
Sustentat vlnis. Te placidâ manu,
Fastidiosi nescius otij
 Fervor, per illustrem Polonâ
 Luce diem, vigilem salutat
Ad vota solem. Purpura Te Patrem,
Equestris ordo, curia, subdito
 Cultu recognoscit Monarcham, &
 Cæsariem triplicis corymbi
Obnubit umbrâ. Stat Tibi prosperos,
Negotioso Numine, Curia
 Lustrasse pro Regno labores,
 Stat placidum sine nube pectus
Non otiosas in solio moras
Flexisse; cum Te publica faustitas
 Deposcit, in commune Regni, &
 Auxilio reparanda fruges.
Quin sole vectam fideris orbitam,
Cælique currus, & celeres rotas
 In luce stellarum, secutus,
 Sarmaticum moderaris orbem,
Mundumque lustras, Mellea qualiter
Sub Rege feruent castra recentibus
 Invecta pratorum ligustris:
 Assimiles Tibi scepra cultus
Rex summe sparsis debet adoreis,
Dum Res - Poloni - Publica sub tuo
 Fauore mellitum laborat,
 Numine prospiciente nectar.
At Tu triumphis nobilibus Lechi
Resperge mundum: nos iuuat interim
 Sceptro laboranti decenter
 Regificum properasse fertum.

PROBLEMA VII.

NVM PRINCEPS, QVO SPECTABILIOR, GRATIOR?

Feris diu culta, non raro Principibus, viuendi placuit ratio, vt speluncis abditis, nulli se vi-
sendos darent; aut si darent, facerent id more ferarum
sævituri. Ex his erat Domitianus, de quo *a.* Plinius orator,
*Eum nec adire quisquam, nec alloqui audebat, tenebras semper,
secretumque captantem, nec unquam, ex solitudine sua prodeun-
tem, nisi ut solitudinem faceret. At*

b. Quem metuunt oderunt, quem quisque odit, periisse
expetit, ideoque & ille *c.* quibus sibi parietibus & muris, sa-
lutem suam tueri videbatur, dolum secum, & insidias, & ulto-
rem scelerum Deum inclusit. Alexander quoque Macedo,
d. semper suis amatus, posteaquam Persarum moribus
indutus, difficilem ad se accessum instituit, atque de ge-
nu salutari voluit, coniuratione penè oppressus: cuius
accusatus Hermolaus, factum agnoscens, his Regem
allocutus. *Omnia tolerare potuimus, antequam nos barbaris
dederes, & nouo more victores, sub iugum mitteres. Persarum
te vestis & disciplina delectat, patrios mores exelus es. Persa-
rum ergo Regem, non Macedonum occidere volumus. e.* ô di-
gnam summo Principe laudem quam Theodorico Re-
gi tribuit Sidonius *e.* inquit. *Timebat, ne time-
retur.* Maiorem autem illo meritis Casimirus Rex Po-
loniæ, qui non modo timuit, ne timeretur, sed effecit,
vt ab omnibus adeo amaretur, quod gloriari posset. *f.*
*se securè in cuiuslibet subditi sinu, dormire posse. Quâ vero id
arte consecutum credemus? Summa humanitate, faci-
li aditu, obtutu, aure, De Apibus certè nostris, auctor
noster narrat, quod cum processère g. se quæquè, proxi-
mam Regi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Sic boni,
carique Principis latus, dum aditus patet, a civibus am-
bitur, amatur, laudatur. Hoc Agesilaus optauit, qui
h. Semper ut aspiceretur ambiebat Hoc Traianus, cuius
laus, apud suum Oratorem i. Liberum est, ingrediente per
publicum Principe subsistere, occurrere, comitari, præterire. Ambu-
las*

las inter nos, quasi nos contingas, & copia tui, nō ut imputes facis. Hæret lateri tuo, quisquis accessit, finemque sermonis, suus cuiq; pudor, non tua superbia facit. Quis vero inde fructus? Dedit se omnibus, ut illi darent se omnes, quæ item pulcherrima Aureliani gloriatio. Lex Constantini erat k. Non sit venale iudicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa præsidis, cum precio. Equè aures iudicantis pauperrimis, ac diuitibus referentur. O legem cedro marmoreque scribendam! atque omnium Principum liminibus præfigendam. Quam qui Principum seruent, amorem omnium, tum laudem Agefilai, summis Persiæ Regum fastigijs celsiorem consequantur, de quo Xenophon. Rex Persicus auctoritatem sibi quærebat ex eo, quod raro conspiceretur: Agefilaus eo ipso delectabatur, quod semper in hominum conspectu versaretur. Rex Persarum gravitatem captabat ex eo, quod difficiles ad eum accessus essent: Agefilaus gaudium inde percipiebat, quod aditus, vniuersis ad se pateret. Putabat Rex Persarum, splendidum esse, quod negotia tardè conficeret: Agefilaus autem, maximè tum lætabatur, cum homines id quòd cupiebant, celerrimè consecutos dimittebat. Non horror, neque recondita autoritatis spectra, maiestatem Principis tuentur, sed virtus, & sapientia. Egregiè Sine sius Regiam maiestatem aspectui minui suspicanti. m. At solè inquit, hæctenus nemo despexit, quanquã quid est, quod frequètiù videatur Quare & Latinus Pacatus, de Imperatore suo, tanquam de sole. n. Non magis communem hunc diem, atq; solem, quam nostrum Imperatorem videre licet. Quin, cum vicinum habeant, permissa fastidium, nunquam iste mirantes explet oculos, magis magisque visus expetitur, & nouum dictu, præsens desideratur.

Sic luceas diu ô sol noster REX SERENISSIME!
 sic felices radios spargas, vt qua humanitate corda omnium in amorem tui pertraxisti: eadem felix ac beatus, Amor populi Poloni, deliciæque nostri æui, Eternum audias.

a. in Trai. b. Eunn. lib. 2. offic. c. Cicer. e. Plin. vbi supra. d. Curt. lib. 8. e. lib. cap. 2. f. Cromerg. lib. 11. cap. 10. h. in vit. i. Paneg. k. de Ricca. Enuid. l. Orat. de Agefil. m. ad Arcad. n. in Paneg.

ODE

O D E

ET non profano Numine Principem
 Dixere magnum, quem propius throno
 Augusta virtutis statura,
 Sidereos imitata vultus
 Sacrauit orbi. sæva per abditos,
 Saltus ferarum mens tacitas agit
 Cruore sufflammata noctes,
 Nec roseum rutilantis astri
 Spectare lumina gaudet, & extimo
 Squallentis auræ regimine conditum
 Solem Monarcharum probris
 Pulveribus sepeliuit ætas,
 Sol esto Princeps, sol placido palàm
 Patens sereno, quem nec inhospiti
 Velamen obnubat veterni,
 Nec rigidis caeca saxa condant
 Celata venis. Hic Patriæ iubar,
 Quem non timendi fax diadematis
 A ciue seiunxit, vel ira:
 Cui niueum est sine cæde ferrum,
 Quem vera virtus, quem Superùm vigil
 Sceptri que cultus, quem faciles regi
 Iræque, moresque, & corusci
 Axe vehunt dominum iugales,
 Hic clarus esto. Tu mihi in obuias
 Incurris vlnas, Sarmatiæ decus,
 Culmen Polonorum, ô Lechei
 Grande iubar, columenque cæli!
 Quem cum paternæ Numen adore æ
 Scripsit Dynastam; mox dominæ, enthei
 Cesserê virtuti timores,
 Et rigidi mala damna lethi,
 Inuicta iustæ limina Regiæ
 Themis serenum ponè latus Tibi
 Assedit; innubemque solem
 Sarmatico patefecit orbi.

Vt cunq̄ue sacrum nobilibus iubar
Leges tueris: cum placido Numa
 Certas Lycurgis, vincis amplos,
 De facili genio Solones:
Tibi illibatis nunc etiam fauet
Lux alma sceptris, Te proprio Lechus
 Vulgasse conspectus trophæo,
 Et Patrij pia fata Piaſti
Dixerê clarum. Te resonantium
Lingvæ polorum, & littora Viſtulæ
 Vndæ refundentis tributo,
 Non tacitum recolunt Toparcham,
Quem non latent Curia lumine,
Recondit altis ſub penetralibus:
 Sed largus illustris diei
 Regna ſimul, trabeasq̄ue Regni
Sub ſole ſectis. Clarior aſpici
Seu purpurarum ſcena ferat pedem,
 Torrens Senatorum, aut decemplex
 Turba equitum, populique nimbus?
Pulcher benignâ vultus imagine
In luce proſtat. Non Tibi Regios,
 Velavit obtutus cadente
 Vmbra die, tacitasq̄ue veſper
Sublegit horas. Nec nimius Tibi
Aulæ tumultus, non ſubeuntium
 Procella curarum patentem
 Eripuit ſuper axe ſolem.
Sic nempe Regum gloria diſſitum
Orbi Polono promouet atrium:
 Ferriq̄ue diſponit columnas
 Belligeri monumenta Chobri:
Cùm liberali lumine Civibus
Plenum propinat fronte meridiem,
 Pectusq̄ue diſpenſat per omnes,
 Rex ſolio ſtabilitus axes.

PROBLEMA VIII.

AN SE, SVIS, DEBEAT TOTVM PRINCEPS?

Non auro, aut argento, non vllis opibus tot infidiatōres inhiant, quot, cordibus Principum: vt hac pretiosissima parte prærepta, totos possideant. Et quidem spoliare Principem Amicis, est maxima parte felicitatis illum priuare; laudandiquè merito Theodosij imitatores, de quo *a. Tu, inquit amicitiam, nomen ante priuatum, non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpurâ, auro gemisque redmitam solio recepisti, requè non verbis asseruisti. Principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior.* Monet interea Pythagoras. *Non cuius dexteram porrigendam. namque b. paucis è multis fidus inest animus.* Atq; imprimis vitanda illa ira Deum cum Tacito loquor, quâ Principes vni se regendos dant. Seruitus hæc grauis est, beneuolentiæ titulo colorata, eo etiam turpior, quod in ea subditi Dominis imperent. Sic imperauit Seianus Tiberio, Narcissus Claudio, Lacon Galbæ, quibus per licentiã grassantibus, omnia permisere Principes, quia sui non fuere. Proximior nostris temporibus *c. dux Lermæ, cui Philippus III. Rex Hispaniarum totum se tradiderat, vt vulgo Minister Lermæ diceretur: deposita etiam in intimo Regis cubiculo epistola, cui inscriptum erat. Hispaniarum Regi Philippo III. pro tempore, Lermæ Ducis Ministro.* Heu dedecus Imperij & Imperatoris! idemq; commune magnarum aularum dehonestamentum, ad quod ea potissimum arte Princeps perducitur, de qua gloriabatur Didacus Mendoza inueniens *d. se ad eam qua polleret maximam potentiam, peruenisse eo res deducendo, ut illas sine illius opera, & industria, rectè geri non posse Rex arbitraretur.* Arrior hæc ars, successu autem magis commendata adulatio. Est enim *e mellivrus laqueus. f. sericea vinea palatij, habetq; g. præcipuam rationè quidquid voluerit efficiendi.* Cautus igitur sit quàm maximè Princeps, ne vllius blanditijs eò perducatur, vt totum se vni permittat, quin sibi edictum putet, quod ab oraculo Megarensibus responsam *b. referendum ad*

multos, si quid ex animi sententia gerere vellent. i. Sapientissimi enim quoque vel affectibus vel errore seduci queunt, verum ubi plures sunt, alij alios emendant. Certius multis quam singulis creditur. At hinc quoque fouea paratur, si semper Princeps iisdem se credat, euenitque quod narrat de se Aurelianus. k. ego inquit à Patre meo audiui Diocletianum iam priuatum dixisse. Nihil est difficilius quam bene Imperare. Colligunt se quatuor aut quinque, atque unum consilium ad decipiendum Principem capiunt. Imperator qui domi clausus vera non nouit, cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur. Facit iudices quos non oportet, amouet à Rep: qui debebant detineri. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Id si fiat, quis liber manebit, aut aulicorum hastæ ministeriali non subijcietur? tandemque fiet l.

authoritatis seruis immodicæ, notæ
authoritatem non habentis Principis.

Cum tamen ministri Principis, custodes eius authoritatis esse debeant; quo nomine Apes, Regis sui lateri adhaerentes indigitat Plinius lib. i i. c. 10. Nulli subtrahat peccatus Princeps, nulli affectum deneget, atque ijs, quos fideles sui que amantes expertus fuerit, liberalius se impendat iuuabit tamen non raro meminisse dicti Tiberiani m. non quidem posse Principem suam scientiam omnia complecti, sed neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. n. An frustra Regibus data, manus! dixit Alphonsus Aragonius, cum laboranti manibus, labor probro verteretur. At neque frustra aures nisi ut de Reip. potissimum commodis loquentes audiat. Neque frustra oculi, nisi ut ipse quæ valet, inspiciat; neque frustra mens, nisi ut ardua rerum scrutetur, atque publicis commodis, nulli totus obnoxius totum se impendat.

Hoc enim uero pro Te, Tua maxima Prudentia spondet Rex serenissime, quam & sublimis scientiarum gloria. & multiplex rerum domesticarum atque exterarum cognitio collegit. Dabis affectum omnibus, qui merebuntur: Te uero uniuersæ Patriæ dubio procul conseruabis.

a. Pacat. b. Theogn. c. Putean. d. Boter. e. Laceri. f. Constant. Mag. g. D. chryst. h. Apoph. i. Commin. lib. 2. cap. 2. k. Vopis. l. Scalig. m. Raut. lib. 3. n. Panormit.

ODE

O D E

Regnare fas est, quem superi iubent
 Erecta Regni sceptrâ potentibus
 Librare Principem lacertis,
 Et Patriæ dare iura genti,
 Terrasque latè dissociabili
 Freto resectas iungere, & efferos
 Nimbo sagittarum Gelonos,
 Laurigero cohibere ferro.
 At hic quietum sceptrâ per otium
 Prouexit alto fluminis aluè
 Impune nauarchus, latentes
 Oceani haud pauefactus æstus.
 Quem læta mentis curia Principem,
 Paremq; Regno finxit; & imperi
 Falces coronauit dolosi,
 Cauta supercilij potestas.
 Hi fausta Regni Numina providis
 Vexere remis; hi tumidum freti,
 Æquor reuoluentis duellum,
 Non tumido tenuerê clauo
 Reges ferentium Astra Penatium,
 Viuæque mentes imperij: Quibus
 Non vafra substruxit nefastos
 Voce dolos, patulasque Siren
 Damnosa quæstu non medicabili
 Impleuit aures. Illita fraudibus
 Propinat è vultu venenâ
 Lingua, suis medicata myrtis
 In fata Regum: cum male callidum
 Tumultuantis consilij fretum
 Persuasit, heu regnum refusis
 Sceptrâ simul, populosque traxit
 In damna verbis! Tollite Regio
 Latè dolosos culmine scorpjos,
 Vafrosque vulpium colores
 Conspicuâ moderante norma

Arcete Reges. Toxicæ melleis
 Venena fundit lingua liquoribus,
 Falsoque libertatis ore,
 Certa feri simulachra Lethi
 Imis recondit visceribus throni,
 Regumque fibris. Non Mareoticis,
 Errynnis hæc fallente vultu
 Invigilat maleuada sceptris,
 Non hæc renidens in solio iubar
 Cuniculosis impetit artibus
 Infesta, sed pectus Potentium
 Lethifero petit illa telo.
 Non & Tuorum hæc limina Civium
 Dolosa vulpes subruet, *optime*
 Regum, sed insonti per omnes
 Iura Tibi sine fraude linguas,
 Astræa rectis instruet artibus;
 Divæquæ mentis non dubiè Pharus
 Amica discernet nefastis,
 Consilij sine nube corda.
 Hæc Te secundis consilij *Patrem*
 Velis per æquor Sarmatiæ, suo
 Nixum lacertorum natatu,
 Siderei indigitem trionis
 In orbe sistent. Hæc uacuos Tibi
 Formidoloso semine protinus
 Scribent triumphos, hæc opimos
 In Patriæ solio maniplos,
 Beatiori fruge recentibus
 Fundent aristis. Hæc Tibi melleæ
 Apes Amicorum probata
 Ore ferent sine fraude *mella*
 Quin & repulsis gloria fraudibus
 Larvam decori lumine detrahet
 Thulenque migrabit profanis
 Ambitio malè sulca linguis.

PROBLEMA IX.

PACISNE, AN BELLI CVLTVS, PRINCIPI MAGIS CONVENIAT?

Pax optima rerum. a.

*Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris potior, pax custodire salutem*

Et ciues equare potens, inclamauit olim nobilis

Poëta, vt audiret semper, vniuersus orbis: cui consensiens Imperator *b.* *Pacem, hominis maximum esse bonum, bellum maximum malum dixit.* Scilicet pace bona, bonis omnibus perfruimur, opibus, valetudine, prouentibus, & quavis honesti indulgentia: at bello

c. *Perfurit & totum miscet Mars impius orbem.*

Probaturus pacis bonum Cyneas, Pyrrum Italiae bellum adornantem his allocutus fertur. Cum Romani bellicosi ferantur, si eos vincamus, quo signa vertemus? Respondente Pyrrho, illico tenebimus Italiam. itum ambitione ad Africam, Macedoniam, Græciæque imperium occupandum. Tum verò Cyneas: quid verò erit, vbi rerum potiti fuerimus? Respondit Rex: in alto otio viuemus, & quotidie nos variè oblecta bimus. Hic deniq; prudentissimus Philolophus. & nunc quid obstat, quo minus eodem otio felices perfruamur, cum citra negotium ad manus sint, quæ per sudores, sanguinem, discrimina vitæ quæsitura sumus. Contempsit dicta Pyrrhus, sed contemptum, mox in obsidione saxo percussus, morte luit. Discant vtinam Pyrrhi exemplo, quanti pacis bonum æstimandum, illi Reges, de quibus magnus Angliæ Cancellarius

d. *Regibus ex multis regnum cui sufficit vnum*

Vix Rex vnus erit. Ne addam, quod idem addit

Regibus ex multis regnum bene qui regat vnum

Vix tamen vnus erit.

Tibi verò o Polonia præ multis hæc laus debetur, pacis publicæ studio excellere, Pacem cum vicinis integerrima fide colere, à prædandi alienaque imperia inuadendi cupiditate longissimè abesse, adeoque & moribus & legibus Principum, illud insinuare: *Non quam late sed quam bene.* Et illud

Non minor est virtus, quam querere, parta tueri.

Quâ censura e. Augustus Imperator vsus, cum legeret, Alexandrum post tot Regna devicta, ad alia aspirasse, Sed grauius Demetrius pirata coram Alexandro accusatus, eundem feriit f. Ego, inquiens prater piraticam nihil didici, nec quidquam de paterna hereditate, prater duos myoparones accepi. Tu verò Alexander, qui in me piraticam improbas, cum exercitu potentissimo terrâ marique latrocinaris, tametsi à Patre Regnum Macedoniae florentissimum acceperis. O quot Alexandro compares! & quot illi apud quos g. nihil iniustum quod fructuosum.

Absit hoc dedecus à Polonia. Absit à Poloniae Regibus fortibus bello, fidis pace, oleâque dum licet, gloriantibus. At si qui pacis oleam extorquere conentur, gladium necesse ingerant. Nam & Apes cum alimenta aliter tueri nequeunt h, pro floribus acie dimicant. Vnde Alciatus. galeæ pro alueari substitutæ, meritò inscripsit.

Arma procul iaceant, sed fas sit summere bellum

Quando aliter pacis non potes arte frui.

- *i Omnia prius experiri verbis, quam armis Sapientem decet. At si frustra sint verba, si iura, si Legati, arma necesse succedant. k. namque fortitudo, qua per bella tuetur Patriam, plena iustitia est. l. quid enim culpatur in bello, quærit sacratissimus fidissimusque Magister, an quia moriuntur quandoque morituri, ut uiuant in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non Religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæ sunt quæ in bello culpantur.*

Vos igitur moneo ò Socij, vos pariter hostes, maturè respicite; & qualè Regem nostrum sentire velitis decernite. Olea gaudet, pacemque colet dum per vos liceat. Quod si oleam extorquere conati fueritis, in promptu gladius est. Trita ad victorias & triumphos, Regi nostro via est, innumerorum Heròum, sanguinis & sceptri Parentum, vestigijs calcata. Huic ille insistet, hanc premet, ac securus ascendet, quousque eius lauris procidui aduoluamini.

a Sil. Ital. b. Augus. c. Andrel. d. Thoma. Morus. e. Sueton. in Aug. f. Bodin lib: de Rep. g. Euph. b. Plin. lib. 11. cap. 17. i. Teren. k. Amb. de off. l. D. Augus. contra Manieb.

O D E

ET me canentem non tenui lyrā
 Apollo iussit, non popularium
 Melos Camænarum sonorè,
 Pierijs animare plectris
 Ferrumque & hastas, & lituos procul
 Martisque Sæui robora, & hispido
 Fasces Sagittarum quietæ
 Muneribus reparare pacis.
 Per plana Regni tutius imperat
 Quietus ensis, rectius innocens
 Ferrumque, Maiestasque rutos
 Imperio populos coërcet.
 Pax hospitaes vere colonias
 Exercet artus, & potioribus
 Pax vna pensatur triumphis,
 Ligigeris redimita ferris.
 Hæc Regna firmis cardinibus super-
 -Fundata lato, nutrit in otio,
 Palmasque dispensat serenâ
 Temperie, viridesque sacrat
 Honore lauros. Mars ferus interim
 Commiscet orbem: cum nimias ferox
 Bellona per clades, cruento
 Præuehitur tumefacta curru
 Iam fausta lætis vecta iugalibus
 Pax viset orbem Sarmatiæ, vt Tibi
 Amica subscribere sceptrum
 Numina, pacificosque fasces
 Bene auspiciatis Te sibi gratia
 Pacis beatæ nectet adoreis,
 Sacramque præcingent aristæ
 Cafariem, meritosque uernans
 Oliua vultus perpetuantibus
 In flore ramis. Si tamen improbas
 Armatus in clades phalangas
 Mars agitet, mutuumque stringat

Bellona ferrum? En ocyus ocyus
Manus potentem promet acinacem
 Ferrumque, bellacesque dextras,
 Magnanimus calor incitatos
Incendet ignes. qui sitit improbo
Cruore sceptri Regificum decus,
 Extorquet hic ferrum, & pudendas
 Exitio propiore clades.
Quin & nefastis casibus insolens
Fortuna clauam semper ab Herculis
 Attentat in cassum lacertis,
 Fædifrago mutuare lucro.
Impune nusquam Marmaricus leo
Hostile transit feruidus atrium:
 Sternit laceffitus fugaces
 Mirmidonum, Dolopumque turmas.
At si furoris percitus ignibus
Cui bella Mauors sparserit in Tuas
 Rex magne densatim phalangas?
 Ille suæ propior ruinæ
Respersa planget funera Regijs
Collisus armis. Ille cruoribus
 Immersa casorum sepulchra, &
 Barbaricos sine lege Manes
Fletu rigabit: lambere puluerem
Discet profanum sub Domini pede
 Deiectus, & latè profusus
 Luminibus sua damna planget.
Noscet potentem turba rebellium
In Marte Regem, noscet & ultimò
 Sub axe degentis Geloni
 Terra, Ducis Dominique plenas
A Marte lauros. Sic Tibi subdito
Apollo cantu, sic cytharæ sono
 Precatur, æternasque palmas
 Perpetuis celebrat trophæis

PROBLEMA X.

QVIS FUCVS REGIBVS POTISSIMVM VITANDVS?

Hanc quoque inter multa celebrat *Apum* prudentiam, toties naturæ illarum compellatus indagator *a.* quod quamvis de se proditos nouerint fucos, prouidæ tamen boni communis, magisque Reip. totiùs, quàm partium sui amantes, ne fraudem ab illis, sub fucò Societatis patiantur, dum fuci mella voracius glutunt, eos tempestiue abigunt, ac se periculo famis liberant. Felix prouidentia! namque

b. Cum mora non tuta est, totis incumbere remis

Vtile, & assidue subdere calcar equo. Scilicet

c. Ne pigeat, magno post didicisse malo.

Hæc enim verò gloria omnibus Principibus merito optanda, vt si cauent fraudes, si ab infascinate oculos fucò, securi esse cupiunt, caueant a fucis: id est, *diformium à vetusta Religione catholica præceptorum Magistris. An enim hi in aluuario Reip. non fuci? Fuci, de apibus pronati sed non apes. Hæretici d. ex nobis prodierunt, sed ex nobis non sunt. Fuci, genus apum grandius, sed inutile. Hæretici e. temporalis commodi & maximè gloria, principatusq; sui gratiâ, fallas ac novas opiniones gignunt, vel sequuntur, nullamque rationem utilitatis communis, et si præferant, habent. Fuci, partus apum extremarum atque effeminarum f. Hæresis nulla, nisi de extremo & voluptatibus capto animo. g. Superba enim, loquitur Princeps orbis Catholici, vanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxurie, eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi sint serui corruptionis. Fuci igitur, hæretici sunt, & fucò oculos Principum fallere cupiunt, cum de medio veluti Reip. proditi, Remp. loquuntur, salutemque æternam: atque interea, mella catholici animi, regiumque vigorem ac Reip. sanitatem perfido immensoque gutture vorant. Nam *b. quod in Religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* sub hoc fucò, istorum fucorum non pauca sæcula
videre Parentes*

Frontibus aduersis, fraternaque cominus arma
Cognatasque acies.

Hem te Vngaria! hem Transyluania! hem Germania!
cum horum fucorum fucis, infascinatīs miserandè oculis,
vestros contra ciues vos armastis, vobiscum pugna-
stis, de vobis triumphastis, vestrum sanguinè Othoma-
nicæ ingluuiei propinastis. Nec tu ò Polonia tā felix du-
rasti, vt à fucis, gētilitijs ornamentis fucatis, nō illudere
ris. O vtinam discant Principes tam noxios Patriæ fu-
cos abigere; vtinam tot calamitatibus docti, cum Theodō
dōsio concludant *i. cunctos populos, quos clementia nostra
regit imperium in tali volumus Religione ventari; quam D. Pe-
trum Apostolum tradidisse Romanis, vsque ad huc Religio ab
ipso insinuata declarat. Atque rursus k. nullus hereticis my-
steriorum sit locus, nulla ad exercendi animi obstinatoris ele-
mentiam, pateat occasio. Sciant omnes, & si quid speciali quo-
libet rescripto per fraudem elicitis, ab huiusmodi hominum genere
impetratum est, non valere.* O Mecislai! o Boleslai! ò re-
liq̄ti tot sæculorum in Polonia Principes! an non hæ
vestræ leges, an non vestra imperia? Cedo, tu quoque
Rex Sigismunde prime, num fucus hæreticus te tuosque
a quando infascinauit! Rem miram! modo nati de sæ-
culis iudicant; pueri venerandos canos conuellunt; vo-
luptuarij impuri fuci, innocentia, sanctaque tempora
accusant & fucus cedit? Heu iterum Principes, prohi-
bete à vobis hos fucos, si cauetis à fucis. Athenien-
sibus capitale edixit Driopes de DEO non bene sen-
tire, suè de Religione nouos ritus adferre. eundem Socratem
damnauerunt *l. quod nouam Religionem introducere videretur.*
Fuci nostri, multis in Regnis sibi liberum esse vo-
lent, quod suis, apes in vno alueari non concesserint?

Abeant malæ ac inominatæ aues, ab aspectu tuo
Regum Serenissimè. Ascende thronum sublimissimi in
Polonia solij, obtine eum securus, ac vndique luce
cælica circumfusus, de tenebris, fucis omnique fascino
felix triumphas:

a. Plin. lib. 11. cap. 11. b. quid. c. Tibul. lib. 1. d. s. Ioan. cap. 2. e. D.
Augus. f. Plin. g. 2. Petr. 2. b. Theod. Imper. i. lib. 1. c. de sum. Triu.
k. in L. 6. c. l. Valer. Max lib. 1.

O D E

A Beste fucipestiferum genus,
 Et vena fraudum prodiga, & impij
 Cultus Polonarumque legum,
 Et Litauæ vaga pestis auræ,

Fucata panno Relligio. tibi
 Nil Regionum gloria fascium
 Litabit vnquam, dum sacratio
 Tempa calent, redolentque thure

Sub Rege tanto: Mellea dum suum
 Voluunt beatè tempora sæculum,
 Abeste fucorum cateruæ

Heretica mala castra musca.

Tu Vive Regum gloria, liberis

Electe votis Sarmatiæ throno:

Quem Piaustus, & collecta laudum

Atria, magnificique cultus

Bene-auspicato lumine prouehunt,

Sceptrumque firmant. Vive lo! Te palam

Regina libertas anitis

Iure, Ducem, Dominumque terris

Per ora Regni, & pectora cœlitum

Firmata cultu vulgat, & inclytos

Lechi triumphantis colossos,

A Pario noua fama saxo,

Tibi sacratis sancit adoreis,

Æuoque firmis marmoribus colit

Regni Dynastam: vive seris

Rex Superùm celebrate lustris!

Quid fluxa cani temporis orbita,

Et dura Parcarum, aut Lachesis manus

Vel sæua fatorum tyrannis,

Imperijs inimica iactet?

Quid sparsa crimes Relligio impia, aut

Ludum insolentem ludere pertinax

Fortuna, fucorumque nimbus

Arbitrio popularis auræ

Virgine possit: Regum apices fugit
Depicta vultus Relligio. Latet
 Damnata fatorum sepulchris,
 Nec Cidarim, trabeamque magnis
Regum trophæis Lethiferis scatens
Signat venenis. Nil humili casa
 Sol clausus offundit veterni,
 Quem patriâ statione lumen
Regum recenset sanguine Principem,
Clarumque primo sidere Cynthium,
 Aurora subluces nitenti
 Accelerat sine nube mundo.
An & caducis tempora passibus
Mortalitatis detumulent freto,
 Cui Numen immortale pegma
 Munifico stabiliuit axe
Sceptrumque, Regnumque, & sociabiles
Adjura sceptri composuit manus;
 Fascesque submitit Dynastarum-
 Et Patrium Diadema vivo
Illeuit auro? Te Superum manus,
 Ex lingua coeli sidere prospero
 Rex digne sublegit; sacroque
 Relligio redimiuit ostro,
Legesq; Patrum, & libera, liberæ
Gentis dicavit pectora. Vive Io
 Rex digne sceptris, digne lauris,
 Digne throno MICHAEL avito!
Et nos profuso pectore te *Patrem*,
Pronè colentes & *Dominum*, Tibi
 Ter vive dicemus cadente,
 Terque iterum exorientesole.
At Tu benignus de folio *Pater*
Tuere *Cives*. Dum loquor illico
Sub Rege delecto liquores
 Mellifluis cecidere coelo